32 ABC ABC ABC

Labuntur cum tempore que fiunt in tempore nisi scriptura et testibus perhennentur. Hinc est quod ad cunctorum volumus pervenire noticiam quod nos [illegible] Dei gratia
Cesaraugustanus episcopus cum consilio et voluntate totius capituli ecclesie Sancti Salvatoris sedis Cesarauguste et G. Arnaldi plebani ecclesie de Pina damus et conce-
dimus vobis G. Augerio priori de Alfama et omnibus successoribus vestris in perpetuum ecclesias de Borgalairoz et de Fetorta et de omnibus terminis suis prout continetur
in privilegio donationis de Borgalaroz domini P. Regis Aragonum ut possideatis eas cum omnibus iuribus suis. Libere et quiete dando vobis et successoribus
vestris integre et fideliter medietatem totius decime tam de hereditatibus et illis quam propriis excolueritis sumptibus quam parrochianorum vestrorum panis cuiuscumque
generis sit et vini. Salvo iure nostro in omnibus archidiaconi et archipresbiteri et omnium cenas. Insuper damus vobis omnem decimam ganatorum et bestiarum et olerum
omnium parrochianorum vestrorum qui ibi fecerint mansionem integre. decimas extraneorum ecclesie de Pina reservantes. ita tamen quod vos recipiatis de propriis expensis
quartarium episcopi dum collegerit decimam. et recipiatis honorifice canonicos Sancti Salvatoris et nuncios episcopi si contigerit eos illuc ire et detis eis necessaria bis et [illegible]
et similiter domino ecclesie de Pina semel in anno cum quatuor equitaturis. Item tali modo damus vobis ecclesias supradictas ut capellanos instituendos et destituendos
presentetis nobis et successoribus nostris vel archidiacono. ut a nobis curam recipiant animarum et vocati ad sinodum veniant. et crisma ab ecclesia de Pina recipiant. Item
sub istis conditionibus concedimus vobis ecclesiam illius loci qui est inter Samnam episcopi et vallem de Siesa si contigerit vos ibi populationem facere. Et ut supra dicta dona-
tio firma et stabilis perseveret. Sigilli nostri munimine presentem cartam fecimus roborare.

Actum fuit hoc in capitulo ecclesie Sancti Salvatoris sedis Cesarauguste pridie Nonas Julii. Sub Era M. CC. LX. V.

Huius donationis et concessionis testes sunt.

Dompnus Sebastianus prior.	P. Sancii helemosinarius.	G. Bernardi canonicus.
P. Bernardi Cesaraugustanus archidiaconus.	Johannes de Pertusa operarius.	I. Tapiator canonicus.
B. de Monte acuto sacrista.	Magister Willelmus canonicus.	Geraldus canonicus.
R. Bernardi precentor.	Bernardus Dos canonicus.	B. de Almanara canonicus.

Ego J. de Montesono clericus domini episcopi mandato ipsius et capituli hanc cartam scribi feci et per alfabetum divisi et hoc Signum feci.

Ego Sancius episcopus Cesaraugustanus hoc sig num facio

5/20

1227-7-6

Este pergamino es de Donacion del obispo de Çarag.ça y Cabildo de San Salbador hizo al Prior de Altama de la Iglesia de Burgazaloz con sus derechos reserbando se la quarta de las porciones de la diezma que oy se les paga esta transuntado [illegible] Corte del S.r Justicia de Aragon en la escrivania de Bonifacio Serrano en 16 de Julio del 1588

G. 11.

1227

M 107

Leg.º I
Lib.º 3
23

G
D

5157

Concessio [illegible]
[illegible]

Ca[rt]a donatio de la eglesia d' Borja lerez

Borjalarez

D